

















ELEMENTA TRIGONOMETRIAE SPHAERICAE

EX

CLAR. ROGERIO BOSCOVICH

EXCERPTA,

ET PROBLEMATIS ASTRONOMICIS ET GEOGRAPHICIS

ILLUSTRATA

NEC NON

CANONES SINUUM ET TANGENTIUM PRO DECIMO QUOQUE MINUTO, CUM EORUM LOGARITHMIS UNA CUM TABULIS LOGARITHMORUM NATURALI SERIE CRESCENTIUM AB I. USQUE AD 1000.

EXERCITATIONI AUDITORUM MATHESEOS PURAE ET MIXTAE ADCOMMODATA

A

JOANNE SCHMIDEL

IN UNIVERSITATE LEOPOLDINA VRATISLAVIENSI UNIVERSAE MATHESEOS PROFESSORE REGIO PUBLICO ORDINARIO.

Cum tabula aenea.

VRATISLAVIAE 1778.

APUD JOANNEM FREDERICUM KORN SENIOREM.



MONITUM
AD LECTOREM.

Tria in hoc opuſculo erant nobis propoſita: Brevitas, facilitas, et utilitas. Brevitati conſulendum fuit, ut libellus a quovis facile parari, et commode circumferri poſſet. Facilitati, ut Adoleſcentium genio ſerviremus, qui a difficilioribus plerumque abhorrent, et ex huiusmodi diſciplinis ea tantum delibare cupiunt, quae et captu faciliora ſunt, et cum caeteris di-

sciplinis arctius connexa; unde ea tantummodo selegimus, quae ad cognitionem Trigonometriae sphaericae maxime necessaria et faciliora videbantur. Utilitatem opusculi demonstrabit eius adplicatio ad varia problemata astronomica et geographica. Secuti sumus hoc in opusculo Clariss. Rogerium Boscovich, ob singularem eius et brevitatem et facilitatem praesenti instituto optime adcommodatam; caetera aliunde collegimus et exercitationi Adolescentium adcommodavimus.

TRIGO-

TRIGONOMETRIAE SPHAERICAE

CAPVT I.

De angulorum et triangulorum ſphaericorum natura et proprietatibus quibusdam.

I.

Trigonometria ſphaerica, eſt ars reſolvendi triangula, quae in ſuperficie ſphaerae ab arcubus circulorum maximorum eiusdem ſphaerae efformantur. Circuli maximi ſunt, quorum plana per centrum ſphaerae transeunt. Unde fit, ut circuli maximi omnes ſe mutuo bifariam ſecent, et communis interſectio duorum quorumvis eiusmodi circulorum ſit diameter ſphaerae. Cum enim interſectio duorum quorumvis pla-

norum ſit linea recta, et circuli maximi omnes per centrum transeant, etiam eorum communis interſectio per centrum transibit, adeoque diameter eſt, quae proinde circulos maximos bifariam ſecat.

2. Cum datis tribus punctis non in directum poſitis, poſitio plani determinetur, ſequitur, quod per quaevis duo puncta in ſuperficie ſphaerae adſumpta et per centrum determinetur poſitio circuli maximi. Item dato puncto in ſuperficie ſphaerae, poteſt ex illo in datum quodvis planum circuli maximi demitti perpendiculum, et per ipſum hoc perpendiculum et centrum determinari poſitio alterius circuli maximi, cuius planum erit perpendiculare plano dati circuli maximi.

3. Axis circuli dicitur illa diameter ſphaerae, quae ad planum circuli eiusdem perpendicularis eſt; extrema axeos puncta poli eiusdem circuli dicuntur: in fig. 1. Pp eſt axis circulorum EFH, ABD. P et p ſunt eorundem poli.

4. Axis tranſit per centrum circuli, cuius eſt axis. Demonſtratio patet ex elementis geometriae P. Macko, n. 576. Ex quo etiam facile deducitur, omnia puncta peripheriae cuius-

iuscunque circuli in ſuperficie ſphaerae diſtare per aequales arcus circulorum maximorum ab utroque ſuo polo, adeoque omnia puncta peripheriae circuli maximi ab utroque ſuo polo diſtare nonaginta gradibus, ſeu per quadrantem circuli maximi; et viciſſim circulum illum hoc ipſo eſſe maximum, ſi omnia peripheriae puncta ab utroque polo ſuo diſtent per quadrantem circuli maximi.

5. Augulus ſphaericus dicitur is, quem in ſuperficie ſphaerae continent bini arcus circulorum maximorum concurrentium, cuius menſura pendet a magnitudine inclinationis duorum planorum eorundem circulorum ſe interſecantium. Hanc vero mutuam duorum planorum inclinationem metitur arcus, cuius centrum eſt in ipſa planorum interſectione communi, et cuius planum eſt eidem interſectioni perpendiculare: patet ex elem. geomet. n. 529. Si ergo in duobus planis ad ſe invicem inclinatis ex quovis mutuae interſectionis puncto erigantur duae perpendiculares, ut in fig. 1. eP, fP, aut EG, FG, aut AC, BC, angulus rectilineus e Pf, vel EGF, vel ACB, ſeu arcus EF vel AB erit menſura inclinationis planorum.



9. Omnes circuli maximi per polos alterius circuli maximi transeuntes, eidem alteri circulo perperdiculares sunt. Omnes enim circuli maximi per centrum sphaerae transeunt, sicut ipsi axes, cumque poli sint extrema axium puncta, sequitur, quod axis sit linea intersectionis omnium circulorum maximorum per eundem polum transeuntium, cumque axis sit plano circuli, cuius est axis, perpendicularis, omnes circuli maximi per polum alterius circuli transeuntes eidem perpendiculares erunt per n. 2. Vicissim si planum circuli maximi plano alterius circuli maximi perpendiculare sit, alter per alterius polos transibit. Si enim alter per alterius polos non transiret, neque transibit per axem, cum poli sint extrema axium puncta; adeoque eiusmodi circuli maximi ab axe alterius, id est, a situ perpendiculari recedent; quod est contra hypothesin.

10. Triangulum sphaericum dicitur, quod continetur in superficie sphaerae tribus arcubus circulorum maximorum, qui dicuntur eius latera.

11. Si in triangulo sphaerico bini anguli fuerint recti, latera iis opposita erunt qua-

drantes. Si enim in triangulo PAB fig. 1. anguli A et B fuerint recti, plana circulorum PA et PB ad planum circuli ABD erunt perpendicularia, adeoque polus circuli ABD in utriusque circuli peripheria iacens cadet in ipsam eorum intersectionem sive in anguli verticem P, per n. 9. cumque polus P undique per quadrantem circuli distet a circulo ABD erunt PA et PB quadrantes. Et viciſſim ſi arcus PA et BP fuerint quadrantes anguli PCA, et PCB erunt recti, ac proinde recta PC erit perpendicularis plano ACB, et idcirco plana arcuum AP, et BP perpendicularia erunt plano arcus AB, et anguli ſphaerici PAB et PBA recti. Vnde in utroque caſu tertium latus AB erit menſura aequalis tertio angulo ſibi oppoſito. Cum enim P ſit polus circuli AB, arcus AB erit menſura aequalis angulo APB, per n. 5. unde ſi omnes tres anguli fuerint recti, etiam omnia latera erunt quadrantes; et vice verſa. Inde patet modus reſolvendi triangula, in quibus vel omnes tres, vel bini anguli ſunt recti. Supereſt reſolutio triangulorum, in quibus vel unus eſt rectus vel nullus; illa triangula rectangula haec obliquangula adpellantur; ac

in

in illis quidem latus angulo recto oppositum basis dicitur, in his latus quodvis pro basi adsumi potest.

12. Si in fig. 2. tria plana ita ad se invicem inclinentur, ut lineae intersectionum BD, AF, CE nusquam concurrant, seu parallelae maneant, summa omnium trium angulorum eadem futura est, quae in triangulo rectilineo DFE, cuius latera ad intersectiones trium planorum sunt perpendicularia. Nam per n. 5. angulum E mensurabit arcus HG radio GE ad CE perpendiculari descriptus, similiter angulum F arcus HO, et angulum D, arcus OM; quo casu summa trium angulorum erit aequalis duobus rectis.

13. Si tria plana ita se intersecent, ut lineae intersectionum alicubi in puncto A concurrant, summa trium angulorum dictorum maior est duobus rectis. Nam linea GE, quae in priore casu ad CE perpendicularis esse supponebatur, in hoc posteriore casu ad lineam intersectionis AE perpendicularis non erit, sed ad describendum arcum GH, qui sit mensura inclinationis duorum planorum, adsumi debebit linea GI, perpendicularis ad AE; est vero in triangulo rectangulo GIE GI minor

quam

quam hypothenusa GE, adeoque arcus GH radio minore GI descriptus nunc iam plures gradus continebit, quam dum radio GE descriptus est. Itaque angulus HIG maior est angulo HEG. Id quoniam eodem modo de reliquis angulis F et D demonstrari potest, evidens est, summam trium angulorum in casu posteriore maiorem esse duobus rectis. Id quoniam triangulis sphaericis cumprimis convenit, patet, summam trium angulorum sphaericorum maiorem esse duobus rectis.

14. Sed quoniam duorum quorumvis planorum inclinatio excrescere potest usque ad 180°, antequam in idem planum coincidant; evidens est, summam trium angulorum sphaericorum ad sex usque rectos excrescere posse, antequam in idem planum coincidant. Eodem modo clarum est, summam trium laterum in triangulo sphaerico integro circulo minora esse debere, ne in idem planum circuli recidant. Potest tamen eorum summa in infinitum minui; at bina quaevis tertio maiora sint necesse est.

CAPVT

CAPVT II.

De resolutione triangulorum rectangulorum.

15. Resolutio triangulorum sphaericorum tota fundatur in attenta consideratione proprietatum anguli solidi, constituti a tribus angulis planis. Consideretur enim in fig. 3. angulus solidus, quem continent tres anguli plani BCD, BCA, ACD, et concipiatur radio CB sphaera occurrens eorum angulorum planis in BD, AD, AB; hi tres arcus formabunt triangulum sphaericum BAD. Erit vero latus AB mensura anguli ACB; latus AD mensura anguli ACD; ac demum latus BD mensura anguli BCD. Anguli vero ad A, B, D erunt aequales inclinationibus, seu angulis, quae plana eorundem angulorum continent cum planis contiguis.

16. Sit iam triangulum BAD rectangulum ad A; et concipiatur planum circuli lateris AD congruens cum plano ipsius chartae; quodsi latus AB insistens peripheriae ADEF verticaliter, et basis DB oblique, producantur, occurrent ipsi alicubi in E et F, ita ut AE, DF sint diametri intersectionum, et arcus ABE, DBF semicirculi.

17. Sit

17. Sit BC radius ſphaerae, et BI perpendicularis plano ADE, quae ob arcum ABE verticalem eidem plano cadet in diametrum AE alicubi in I ad angulos rectos; tum IG perpendicularis diametro DF; eritque ducta BG etiam perpendicularis diametro DF. Cum enim BG et IG ſint in eodem plano trianguli BIG perpendiculari plano ADE, et IG ſit perpendicularis ipſi DF, etiam BG in idem punctum G ex eodem plano concurrens ipſi DF perpendicularis erit; his ita conſtitutis erit BI ſinus anguli BCI, ſeu lateris AB, et BG ſinus anguli BCG ſeu baſis BD.

18. Demum ſectis ſemicirculis DAF, DBF bifariam in L et H, transeat per ipſa puncta L et H arcus circuli maximi, occurrens ſemicirculo ABE alicubi in P; eruntque anguli DLH, DHL recti, (per n. 11.) ac proinde D polus circuli LHP, et LH menſura aequalis angulo ADB. Ob angulos vero ALP, LAP rectos erit in P polus circuli AL, PA vero, et PL quadrantes, ac AL menſura aequalis angulo HPB.

19. Jam vero omnis triangulorum ſphaericorum reſolutio profluit a conſideratione pyramidis BIGC, et comparatione triangulorum

lorum rectangulorum BAD, BHP. Primum igitur defigatur mentis acies in pyramidem iacentem, cuius vertex ſit in centro ſphaerae C, baſis triangulum BIG, a qua ad verticem tendunt tria latera BC, IC, GC, quibus concluduntur tres facies triangulorum BCI, BCG, ICG.

20. Porro tam baſis illa BIG, quam hae facies ſunt triangula plana rectangula; nam anguli BIG, BIC ſunt recti (per n. 17.). Similiter recti ſunt anguli CGB, CGI, ob CG perpendicularem plano BGI; angulorum autem rectilineorum, quos illae tres facies continent in C, nimirum angulorum BCI, BCG, ICG menſurae ipſis aequales ſunt arcus BA, AD, BD; angulus vero rectilineus BGI, pertinens ad baſim illam pyramidis, eſt aequalis angulo ſphaerico BDA (per n. 5.).

21. Comparando autem inter ſe bina triangula ſphaerica BAD, BHP rectangula ad A et H, cuivis vel lateri vel angulo alterius reſpondet aliquid in altero vel ipſi aequale, vel eius complementum. Sic angulo BAD recto primi, aequalis eſt BHP rectus ſecundi; angulo ABD aequalis eſt ad verticem oppoſitus HBP. Angulus ADB primi, ſeu eius menſura

ſura arcus LH, habet pro complemento latus HP ſecundi; latus AB primi habet pro complemento baſim BP ſecundi; latus DA primi habet pro complemento arcum AL, qui eſt menſura aequalis angulo BPH ſecundi; demum baſis BD primi habet pro complemento latus BH ſecundi.

22. Sint iam reperiendae duae rationes rectarum BG et BI; prima oriętur ex conſideratione triangulorum CIB, CGB; ſumpta enim BC pro radio, erit BG ſinus anguli BCG ſeu baſis BD; et BI ſinus anguli BCI, ſeu lateris AB angulo ſphaerico D oppoſiti. Alteram earundem linearum rationem exhibet baſis pyramidis ſeu triangulum BIG, nam aſſumpta BG pro radio, erit BI ſinus anguli BGI, ſeu ſphaerici D. Unde oritur proportio. Rad: ſin. ang. D = ſin. BD: ſin. AB ex qua formatur

Can. I. Radius ad ſinum anguli, ut ſinus baſis ad ſinum lateris angulo oppoſiti.

23. Similiter reperiuntur duae rationes rectarum BG et IG. Sumpta CG pro radio, erit BG tangens anguli BCG ſeu baſis BD; et IG pariter erit tangens anguli ICG ſeu lateris AD adiacentis angulo ſphaerico D. Alte-

Alteram earundem linearum rationem ſuppeditat baſis pyramidis ſeu triangulum BIG, in quo ſumpta BG pro radio, erit IG coſinus anguli BGI, ſeu ſphaerici D. Unde formatur proportio.

Rad: cos. ang. D = tang. BD: tang. AD.

ex qua oritur

Can. II. Radius ad coſinum anguli, ut tangens baſis ad tangentem lateris angulo adiacentis.

24. Simili modo reperiuntur duae rationes rectarum BI et IG. Pro prima ſumatur CI pro radio, erit IG ſinus anguli ICG ſeu lateris AD angulo D adiacentis. IB vero evadet tangens anguli BCI ſeu lateris AB angulo D oppoſiti. Alteram earundem linearum rationem rurſum dabit triangulum BIG, in quo ſumpta IG pro radio, BI evadet tangens anguli BGI, ſeu ſphaerici D. Eritque

Rad: tang. ang. D = ſin. AD: ſin. AB.

ex qua oritur

Can. III. Radius ad tangentem anguli, ut ſinus lateris adiacentis eidem angulo, ad tangentem lateris eidem angulo oppoſiti.

25. Si iam iidem canones adplicentur ad triangulum BHP, ipſumque (per n. 21.) com-

paretur cum triangulo BAD, orientur tres alii. Erit enim per can. I.

Rad: ſin. ang. BPH = ſin. BP: ſin. BH.

Eſt vero anguli BPH menſura arcus AL, qui eſt coſinus lateris AD; et ſinus BP coſinus lateris AB, ſinus BH vero coſinus baſis BD; ergo has expreſſiones pro illis ſubſtituendo erit

Rad: coſin. AD = coſin. AB: coſin. BD.

Inde oritur

Can. IV. Radius ad coſinum unius lateris, ut coſinus alterius ad coſinum baſis.

26. Ex eodem canone primo eruitur haec proportio.

Rad: ſin. ang. PBH = ſin. BP: ſin. BH.

Eſt vero ſinus anguli PBH aequalis ſinui anguli ABD, et ſinus BP coſinus lateris AB eidem angulo B adiacentis, ac demum ſinus PH coſinus arcus HL, qui eſt menſura anguli ſphaerici D, lateri AB oppoſiti; adeoque has expreſſiones pro illis ſubſtituendo erit

Rad: ſin. ang. ABD = cos. AB: cos. ang. ADB.

Unde ſequitur

Can. V. Radius ad ſinum anguli lateri adiacentis, ut coſinus eiusdem lateris, ad coſinum anguli oppoſiti.

27. Si-

27. Simili modo ex canone III. formatur ſequens proportio

Rad: tang. ang. B = ſin. BH: tang. PH.

Sunt vero apud B anguli verticales, et ſinus BH eſt coſinus baſis BD, et tangens HP eſt cotangens arcus HL, qui eſt menſura anguli ſphaerici D; his itaque ſubſtitutis, erit

Rad: tang. ang. B = cos. BD: cotang. ang. D.

Unde eruitur

Can. VI. Radius ad tangentem unius anguli, ut coſinus baſis, ad cotangentem alterius.

28. Poſſent ſimili modo adplicando canonem ſecundum tam ad angulum P, quam B, item tertium ad angulum P tres alii canones reperiri, qui tamen cum prioribus easdem ſolutiones praeberent. Illud tamen diligenter notandum, omnes iſtos canones etiam triangulo BAF adplicandos eſſe, quia functiones eaedem communes ſunt binis arcubus ſemicirculum complentibus. Attamen neceſſariae ſunt quaedam regulae, quae oſtendant, utram ſpeciem habere debeant anguli vel arcus quaeſiti, ſcilicet an acuti, an obtuſi ſint.

29. Has regulas ſuppeditabit contemplatio figur. IV., in qua manentibus punctis ABPED,

ut in fig. III. per polum P et punctum D ducatur arcus circuli maximi, qui erit perpendicularis ad ADE (per n. 8.) et semicirculo ADE secto bifariam in puncto I, quod erit polus circuli ABPE (per n. 8.) ducatur arcus BI, qui erit quadrans. Ducatur porro arcus Bd per quodvis punctum semicirculi ADE, iacens ab I incipiendo ad partes oppositas puncti D; demum ex polo B describatur arcus circuli maximi FIf, occurrens arcubus BD et Bd in punctis F et f, eruntque arcus BF et Bf quadrantes.

30. Jam vero si latus AB fuerit minus quadrante AP, erit angulus ADB oppositus minor recto ADP. Si autem illud sit maius, etiam angulus D maior erit, utcunque se habuerit alterum latus AD. Quare

Regula I. Latera sunt eiusdem speciei cum angulis oppositis, et viciſſim.

31. Si vel utrumque latus AB et AD sit minus quadrante AP et AI, vel in triangulo BED utrumque latus BE et DE sit maius iisdem quadrantibus, erit in utroque casu angulus BIA vel BID minor recto BIF, per regulam primam; et hinc in utroque casu basis BD per eandem regulam primam erit minor qua-

quadrante BF. At vero in triangulis BAd, et BEd, angulus BId erit maior recto BIf adeoque basis Bd erit maior quadrante Bf; et hinc in triangulis BAd, BEd, ubi duo latera sunt diversae speciei, basis semper est quadrante maior. Et quoniam per regulam primam anguli sunt eiusdem speciei cum lateribus oppositis, possunt pro illis substitui, ubi agitur de eorum specie. Unde oritur

Regula II. Si duo latera, vel duo anguli, vel latus cum angulo adiacente fuerint eiusdem speciei, basis semper erit quadrante minor; si diversae, maior: et vice versa, si basis fuerit quadrante minor, duo latera, vel duo anguli, vel latus cum angulo adiacente erunt eiusdem speciei; si maior, eadem erunt diversae speciei.

32. Triangulum rectangulum sphaericum resolvi dicitur, cum ope superiorum canonum ex datis aliis binis praeter angulum rectum reliqua inveniuntur. Porro in triangulo rectangulo praeter angulum rectum sunt basis, bina latera, et bini anguli; ea quinque sex tantum combinationes diversas habent, quarum singulis terna contineantur; nam combinari poterit.

I. Baſis cum utroque latere, quo caſu, ſi quodvis horum trium quaeritur, adhibendus erit canon IV, et pro cognoſcenda ſpecie, regulae ſecundae pars prima: ſi duo latera &c.

II. Baſis cum utroque angulo, quo caſu adhibeatur canon VI, et regulae II. pars altera: ſi duo anguli &c.

III. Baſis cum uno latere et angulo adiacente; reſolvitur per canonem II, et regulae II. partem tertiam: ſi latus cum angulo adiacente &c.

IV. Baſis cum latere et angulo oppoſito, quo caſu adhibeatur canon I. et regula prima, vel nulla in caſu ambiguo, ubi ſpecies aliunde cognoſci non poteſt.

V. Utrumque latus cum altero angulo, quo caſu ſerviet canon III. et regula prima vel nulla in caſu ambiguo.

VI. Uterque angulus cum altero latere. Reſolutio obtinebitur ex can. V. et regula prima vel nulla in caſu ambiguo.

Datis proinde in triangulo rectangulo praeter angulum rectum binis aliis, ſi quaeratur terminus quivis alius, videatur in quanam combinatione duo illi termini dati, cum termino quaeſito contineantur; tum adhibito canone ibidem citato

citato terminus quaesitus vel erit inter medios vel extremos terminos proportionis. Si fuerit inter medios, addantur logarithmi terminorum extremorum, et ab hac summa auferatur logarithmus alterius termini medii dati, habebitur logarithmus termini quaesiti. Si vero fuerit inter extremos, addantur logarithmi terminorum mediorum, et ab hac summa auferatur alter extremus datus.

Exemplum. Sit in fig. III. basis BD = 57°. 20′. latus AD = 41°. 10′. et quaeratur angulus D adiacens lateri AD. Haec tria in combinatione tertia continentur, adeoque ex canone secundo formatur proportio.

Rad: cos. ang. D = tang. basis BD : tang. AD lateris adiacentis.

In qua proportione terminus quaesitus est secundus. Addantur igitur logarithmi primi et ultimi termini, et auferatur logarithmus tertii, eritque

+ log. Radii =	10.0000000
+ log. tang. AD 41°. 10′ =	9.9417135
	19.9417135
− log. tang. BD 57°. 20′ =	10.1930286
log. termini quaesiti =	9.7486849

cui logarithmo in tabulis quam proxime respondent 34°. 10′, quod est complementum anguli D, eritque ipse angulus D = 55°. 50′.

Quoniam autem eidem combinationi respondet regulae secundae pars tertia: si latus cum angulo adiacente &c. et vice versa; nimirum cum hic basis sit 57°. 20′ minor quadrante, latus cum angulo adiacente erunt eiusdem speciei, est autem latus 41°. 10′ minus quadrante, adeoque etiam angulus D quaesitus est ille ipse 55°. 50′. non vero eius supplementum ad 180°.

33. In combinatione anguli cum latere opposito, nisi aliunde ex determinatis problematis conditionibus cognoscatur species, casus semper erit ambiguus. Nam in triangulis BAD, BAF. (fig. III.) rectangulis ad A etiam anguli D et F sunt aequales, latus vero AB est utrique commune, adeoque his datis reliqua tria ambigua erunt; nimirum an AD vel AF, BD vel BF, ac demum ABD, vel ABF reperiatur. At in determinatis casibus problematum astronomicorum et geographicorum illa ambiguitas plerumque evanescit; aut per regulam primam species determinari poterit.

CAPVT

CAPVT III.

De resolutione triangulorum obliquangulorum.

34. Triangula obliquangula reducuntur ad rectangula ope perpendiculi demissi ex angulo aliquo in latus oppositum habitum pro basi, et si opus sit productum. Eiusmodi triangula exhibet fig. V. Sit enim primo triangulum ABD vel aBd eiusmodi, ut anguli apud basim A et D vel a et d sint eiusdem speciei, seu illic uterque acutus hic uterque obtusus; evidens est, quod perpendiculum BE vel Be ex angulo opposito B demissum utrobique intra basim AD vel a d cadat. At vero in triangulo d BA, ubi angulus d acutus, et A obtusus est, perpendiculum BE in basim dA productam demissum, cadet extra basim ultra angulum obtusum A. Similiter in triangulo aBD, habente ad a angulum acutum, et ad D obtusum, perpendiculum BE ad basim aD demissum cadet extra basim a D, in partem anguli obtusi D. Inde habetur

Regula III. Si anguli ad basim fuérint eiusdem speciei, perpendiculum intra basim cadet, si diversae, extra.

35. Triangulum ABD ope perpendiculi BE reducitur ad bina triangula rectangula ABE, DBE, ubi ſive perpendiculum BE cadat intra baſim, ſive extra, ut in triangulis ABd vel aBD, dicimus AE, ED, vel AE, Ed, vel aE, ED ſegmenta baſis eorum triangulorum. Segmenta verticis autem dicuntur ABE et DBE; aut ABE, et dBE, vel aBE et DBE, et quidem ſegmenta AE et ABE dicuntur adiacentia lateri AB et angulo A; et oppoſita lateri DB et angulo D; contra vero DE, et DBE illis dicuntur oppoſita et his adiacentia.

36. Porro ope ſuperiorum ſex canonum eruentur alii ſeptem pertinentes ad haec ſegmenta, latera et angulos, ubi, quidquid dicetur de triangulo ABD, id totum de reliquis tribus triangulis ABd, aBD, aBd erit intelligendum, dummodo litteris maioribus apte ſubſtituantur minores.

37. Itaque canonem primum applicando ad triangula AEB, DEB ad E rectangula, erit primo

Rad: ſin. ang. A = ſin. AB: ſin. BE.

et in ſecundo triangulo ex eodem canone alternando obtinetur.

ſin. ang. D: Rad. = ſin. BE: ſin. BD.

adeo-

adeoque ex aequo perturbato ex duabus oritur tertia

fin. ang. D: fin. ang. A = fin. AB: fin. BD.

Quare *Can. VII.* Sinus angulorum ſunt ut ſinus laterum oppoſitorum.

38. Eodem modo ex Canone ſecundo eruitur primo

Rad: cos. ang. ABE = tang. AB: tang. BE.

2do ex eodem alternando

coſin. DBE: Rad. = tang. BE: tang. DB,

igitur ex aequo perturb.

coſin. DBE: cos. ABE = tang. AB: tang. DB.

Quare *Can. VIII.* Coſinus ſegmentorum verticis ſunt ut tangentes laterum oppoſitorum.

39. Ex Canone tertio.

Rad: tang. A = ſin. AE: ſin. BE.

ex eodem alternando

tang. D: Rad. = ſin. BE: ſin. DE.

unde ex aequo perturb.

tang. D: tang. A = ſin. AE: ſin. DE.

Quare *Can. IX.* Sinus ſegmentorum baſis ſunt ut tangentes angulorum oppoſitorum.

40. Ex

40. Ex Canone quarto.

Rad: cos. BE = cos. AE: cos. AB.

ex eodem

Rad: cos. BE = cos. DE: cos. DB.

unde ex aequo ordin.

Cos. AE: cos. DE = cos. AB: cos. DB.

Quare *Can. X.* Cosinus segmentorum basis sunt ut cosinus laterum adiacentium.

41. Ex Canone quinto altern.

Rad: cos. BE = sin. ABE: cos. A.

ex eodem alternando

Rad. cos. BE = sin. DBE: cos. D.

unde ex aequo ordinat.

sin. ABE: sin. DBE = cos. A: cos. D.

Quare *Can. XI.* Sinus segmentorum verticis sunt ut cosinus angulorum adiacentium.

42. Ex his quinque canonibus facile perspicitur, quaenam res inter se combinentur; possetque ex canone tertio alius canon formari, in quo ipsa segmenta verticis et basis inter se combinantur: erit enim

exCan. III. Rad: sin. BE = tang. ABE: sin. AE.

it. ex eod. Rad: sin. BE = tang. DBE: sin. DE,

et ex aequo ordinat.

tang. ABE: tang. DBE = sin. AE: sin. DE.

unde

unde oriretur Canon: tangentes segmentorum verticis sunt ut sinus segmentorum basis adiacentium. Qui canon tunc solum usum habere posset, si tria ex dictis quatuor iam inventa supponantur; id quod raro locum habet. Possent etiam ex superioribus proportionibus in certis casibus ipsa segmenta verticis aut baseos reperiri. Sic in n. 37. ex prima proportione ex datis angulo A et latere AB reperitur BE. Idem reperitur ex secunda proportione ex datis angulo D et latere DB. Porro ex n. 38. ex dato AB et invento BE reperitur in prima proportione segmentum verticis ABE. vel ex altera proportione ex dato DB et invento BE, reperiretur segmentum DBE. Idem eodem modo de caeteris est intelligendum, quia tamen pro omnibus casibus triangulorum resolvendis non sufficiunt, aut plures operationes exigunt, duo alii canones constituendi sunt, ex quibus dicta segmenta verticis et baseos erui possint. Unde

43. Canon duodecimus formabitur ex canone decimo, sumendo summas et differentias. Pro quo notandum, quod in binis quibusvis arcubus sit summa sinuum ad differentiam, ut tan-

tangens ſemiſummae eorundem arcuum ad tangentem ſemidifferentiae eorundem.

Demonſtrat. Sint enim in fig. VI. bini arcus AD, DB, et ſecetur arcus AB bifariam in E, erit AB ſumma eorum arcuum, AE ſemiſumma, et DE ſemidifferentia. Ductis autem CD, et CE radiis occurrat chorda AB in punctis G et I, ac ſecetur bifariam et ad angulos rectos in I, erit AI ſemiſumma, GI ſemidifferentia binarum rectarum AG et GB. Tandem ducantur perpendiculares AP, BQ ad CD, quae erunt ſinus arcuum AD, et DB. His ita conſtitutis triangula AGP, BGQ erunt ſimilia, ob angulos apud P et Q rectos, et apud G verticales aequales, eruntque ii ſinus ut AG et GB; adeoque erit etiam eorum ſemiſumma ad eorum ſemidifferentiam, ut AI harum ſemiſumma, ad IG harum ſemidifferentiam. At habendo CI pro radio in triangulis CIG, CIA rectangulis ſunt IG et IA tangentes angulorum ICG, ICA. Sunt igitur etiam tangentes arcuum, qui eos angulos metiuntur, ut eaedem rectae IG et IA. Quare ſemiſumma ſinuum arcuum AD et DB, eſt ad eorum ſemidifferentiam, adeoque et eorum ſumma ad differentiam, ut tangens arcus

cus AE ſemiſummae ipſorum arcuum, ad tangentem ED eorum ſemidifferentiae Q. E. D. Porro completa diametro ACK, ſecetur bifariam etiam KB in M, et capiatur MN=DE verſus eandem plagam; erit EM dimidium totius ſemicirculi cum MK ſit complementum de EA; adeoque tam ME, quam ND erit quadrans, et DB erit complementum arcus BN; relinquenturque AD et NK ſimul aequales alteri quadranti; et AD erit complementum ad NK; ipſorum vero arcuum BN et NK ſemiſumma erit BM, BE vero ſeu AE erit complementum ſemiſummae; MN ſeu ED ſemidifferentia.

Cum igitur per demonſtrata ſit ſumma ſinuum arcuum AD et DB ad eorum differentiam, ut tangens eorum ſemiſummae AE ad tangentem eorum ſemidifferentiae ED, erit etiam per hucusque dicta ſumma coſinuum binorum arcuum KN et NB ad eorum differentiam, ut cotangens eorum ſemiſummae BM ad tangentem eorum ſemidifferentiae MN ſeu ED.

Sumptis proinde ex canone X. ſummis et differentiis terminorum, et pro ratione ſummae coſinuum ſegmentorum, baſis ad differen-

ferentiam, ſubſtituendo per hucusque dicta rationem cotangentis ſemiſummae ſegmentorum baſis, ad tangentem ſemidifferentiae; item pro ratione ſummae coſinuum laterum ad differentiam, ſubſtituendo rationem cotangentis ſemiſummae laterum ad tangentem ſemidifferentiae, obtinebitur

Canon XII. Cotangens ſemiſummae ſegmentorum baſis, ſive cotangens dimidiae baſis, ad tangentem ſemidifferentiae, ut cotangens ſemiſummae laterum ad tangentem ſemidifferentiae eorundem.

44. Simili modo ex canone XI. pro rationibus ſummae ſinuum vel coſinuum ad diffetias, ſubſtituendo rationes tangentis vel cotangentis ſemiſummae ad tangentem ſemidifferentiae, eruitur

Canon XIII. Tangens ſemiſummae ſegmentorum verticis, ſive tangens dimidii anguli verticalis ad tangentem ſemidifferentiae, ut cotangens ſemiſummae reliquorum angulorum, ad tangentem ſemidifferentiae eorundem.

45. Poſſent ſimili modo ex canone VIII, et reliquis, ſumendo ſummas et differentias terminorum, complures canones formari, ex qui-

quibus ſolutiones variorum problematum obtineri poſſent, quia tamen poſiti hucuſque canones reſolvendis quibusvis problematis ſufficiunt, eos conſulto omittimus. Sic Neperus et alii pro canone XII. proponunt hunc: tangens ſemiſummae ſegmentorum baſis, ſive tangens dimidiae baſis, ad tangentem ſemiſummae laterum, ut tangens ſemidifferentiae ipſorum, ad tangentem ſemidifferentiae ſegmentorum baſis; ipſumque demonſtrant ex principiis conicis. Nos eum ex can. XII. deducimus. Nam pro ratione cotangentis dimidiae baſis, ad cotangentem ſemiſummae laterum ſumendo (per elem. geom. 456) rationem inverſam tangentis huius ad tangentem illius habetur alternando: *tangens ſemiſummae laterum, ad tangentem dimidiae baſis, ut tangens ſemidifferentiae ſegmentorum ipſius baſis, ad tangentem ſemidifferentiae laterum.* Demum invertendo obtinetur canon Neperianus.

46. Supereſt, ut in ſequentibus oſtendamus, quomodo ope ſuperiorum canonum in quovis triangulo ſphaerico obliquangulo ex datis quibusvis tribus reliqua ſigillatim pro quovis caſu reperientur; pro qua re fig. V. ſemper ob oculos habenda, et quidquid de

triangulo ABD dictum fuerit, id reliquis triangulis ABd, aBD, aBd, convenienter adplicandum erit; poteritque ex figurarum harum contemplatione tyro facile discernere, an pro varia horum triangulorum constitutione segmenta verticis vel basis sibi invicem addenda, an et quae a se invicem subtrahenda sint, ipsaque quaesitorum terminorum species, item an perpendiculum BE vel Be intra vel extra basim cadat diiudicari.

47. *Problema.* In triangulo sphaerico obliquangulo tribus datis reliqua invenire.

Resol. Sex casus complectitur hoc problema: I. in quo dentur bina latera cum angulo intercepto; estque problema determinatum, unicam solutionem admittens. II. bina latera cum angulo alteri eorum opposito; estque casus ambiguus ex certis conditionibus problematis determinandus. III. bini anguli cum latere intercepto; quod unam solutionem admittit. IV. bini anguli cum latere alteri eorum opposito; qui casus rursum ambiguus est. V. tria latera. VI. tres anguli, quod utrumque determinatum est unicam solutionem admittens. Unde

48. Pro-

48. Pro casu I. quaeri potest I. tertium latus. Sume pro A angulum datum, eruntque data latera AB et AD, et quaeretur BD. Ex datis in triangulo rectangulo AEB basi AB et angulo A, quaere segmentum basis AE, per can. II. et regulae II. partem tertiam. Invento AE habebis ED, ob datum AD. Demum ex segmentis baseos AE, ED et latere AB, invenies cosinum BD (per can. X. n. 40.). Ex dato angulo A cognoscitur species BE (per reg. I.). Ex specie BE et specie ED eruitur species BD (per reg. II.).

49. Quaeri potest II. angulus utervis. Sume pro AB latus quaesito angulo oppositum, pro AD alterum latus datum, eritque A datus, D angulus quaesitus. Quaere primo segmenta AE et ED, eodem modo ut n. praecedente. Ex iis et angulo A (per can. IX. n. 39.) invenies tangentem anguli D quaesiti. Species pro varia horum triangulorum constitutione facile determinabitur per dicta n. 46.

50. *Casus* II. Dentur bina latera cum angulo opposito alteri ex iis. Quaeri poterit I. tertium latus. Sume pro A angulum datum, pro AB latus ipsi adiacens, BD oppositum angulo A, et quaeretur AD tertium latus.

In triangulo rectangulo AEB quaere per can. II. et regulae II. partem tertiam ſegmentum baſis AE. Deinde ob data latera AB et BD et inventum AE, (per can. X. n. 40.) invenies coſinum ſegmenti ED. Porro ex ſpecie BE, quae eſt eadem ac anguli dati A, et ſpecie BD invenies ſpeciem ED (per reg. II.), nempe ſi BD ſit minor quadrante, erunt BE et ED eiusdem ſpeciei, ſi maior, diverſae. Pro varia horum triangulorum conſtitutione debebit ED vel addi ad AE vel ſubtrahi.

51. Iisdem datis quaeri poterit II. angulus ABD interceptus. Ex datis AB et A, quaere ſegmentum verticis ABE (per can. VI. n. 27.); ſpecies innoteſcet ex reg. II. Ex lateribus AB et BD, et ſegmento verticis ABE invento (per can. VIII. n. 38.) invenies coſinum ſegmenti EBD. Ex BD dato et ſpecie BE, quae quidem ex ſpecie anguli A dati innotuit, invenies ſpeciem DBE (per reg. II.). Horum ſegmentorum ſumma vel differentia dabit angulum ABD quaeſitum.

52. Quaeratur III. angulus D oppoſitus lateri AB dato. Caſus hic omnium facillimus reſolvitur ope ſolius canonis VII. n. 37.

53. *Caſus*

53. *Casus* III. Dentur bini anguli cum latere intercepto. Quaeritur I. tertius angulus. Sume pro AB latus datum; eruntque dati anguli A et B, et quaeretur D. Itaque ex datis AB et A quaere segmentum verticis ABE (per can. VI. n. 27.); speciem dabit regulae II. pars altera. Quod segmentum si fuerit minus angulo ABD, perpendiculum intra basim cadet. Ex invento ABE innotescit alterum segmentum EBD ob datum B. E segmentis ABE, EBD et angulo A invenitur cosinus anguli D (per can. XI. n. 41.); species eadem erit cum angulo A, si ABE fuerit minor quam ABD; diversa, si maior.

54. Quaeratur II. latus utrumvis. Sume pro A angulum ipsi oppositum, eritque alter angulus ABD datus, et BD latus quaesitum. Quaere segmenta ABE, DBE ut prius. Ex iis et latere AB (per can. VIII. n. 38.) invenies tangentem BD. Eius speciem invenies (per reg. II.) ex specie DBE et specie BE, quae est eadem ac anguli A dati.

55. *Casus* IV. Dentur bini anguli cum latere alteri ex iis oppositi. Quaeritur I. tertius angulus. Sume pro AB latus datum, pro A angulum datum dato lateri adiacentem, erit-

que etiam datus angulus D, et quaeretur angulus ABD. Segmentum ABE invenies (per can. VI. n. 27.), ſpeciem per reg. II. partem alteram. Porro ex datis angulis A et D, et ſegmento ABE invento, reperitur (per can. XI. n. 41.) ſinus DBE; ſpecies de ſe indeterminata ex conditionibus certi problematis determinanda erit.

56. Quaeratur II. latus AD interceptum. Ex datis AB et A, quaere ſegmentum AE (per can. II. n. 23.); ſpecies determinatur per reg. II. partem tertiam. Porro ex angulis A et D, et ſegmento AE reperto, invenies ſinum ED (per can. IX. n. 39.); ſpecies ipſius de ſe indeterminata pariter ex conditionibus problematis determinanda erit.

57. Quaeratur III. latus BD oppoſitum angulo A. Ex datis angulis A et D, et latere AB (per can. VII. n. 37.) invenitur ſinus lateris BD.

58. *Caſus* V. Dentur tria latera, poteſt quaeri quivis angulus. Sume pro A angulum quaeſitum. Ex datis AB, et BD et dimidia baſi AD invenies (per can. XII. n. 43.) ſemidifferentiam ſegmentorum AE ED, quam ſemidifferentiam ſumes quadrante minorem, eam-

eamque addendo dimidiae basi habebis segmentum maius, subtrahendo ab ea, minus. Sed pro AE illud segmentum sumes, quod magis vel minus distat a quadrante, prout latus adiacens AB distabit pariter magis vel minus a quadrante, cum (per can. X.) cosinus segmentorum basis, sint ut cosinus laterum adiacentium, et arcus propioris quadranti cosinus sit minor. Jam in triangulo AEB, ex dato AB et invento AE invenies angulum A (per can. II. n. 23.); speciem dabit regulae II. pars tertia. Sed si AE habitum fuerit per subtractionem, et obvenerit negativum perpendiculo BE citra A cadente, angulus quaesitus BAD non erit item cum BAE, sed eius complementum ad duos rectos; id quod ex fig. V. facile perspicitur.

59. *Casus* VI. Dentur tres anguli; potest quaeri quodlibet latus. Sume pro AB latus quaesitum. Ex datis angulis A, D, et dimidio verticali ABD invenies (per can. XIII. n. 44.) tangentem semidifferentiae segmentorum ABE, EBD, quam semidifferentiam sumes quadrante minorem eamque addendo dimidio angulo verticali habebis segmentum maius, et subtrahendo minus. Sed pro ABE

assumes segmentum illud, quod magis vel minus distet ab angulo recto, prout e contrario angulus adiacens A distabit minus vel magis a recto; cum nimirum (per can. XI.) sint sinus segmentorum verticis ut cosinus angulorum adiacentium; et arcus propioris quadranti cosinus sit minor, sinus maior. Porro in triangulo rectangulo AEB, ex angulo A dato, et angulo ABE invento invenies latus quaesitum AB (per can. VI. n. 27.); speciem definiet regulae secundae pars altera.

60. Quodsi in aliquo triangulo detur latus aliquod e. g. AB quadranti aequale, admodum facile dato triangulo substituitur aliud, quod rectangulum sit, et quo resoluto illud etiam resolvitur. Capiatur enim quadrans AE, et per puncta B et E ducto circulo maximo erunt anguli B et E quadrantibus AB et AE oppositi recti; et latus BE mensura aequalis angulo A. Porro arcus ED erit complementum arcus AD, et angulus EBD, erit complementum anguli ABD. Datis proinde quibusvis tribus in triangulo ABD, dantur etiam ea, quae pertinent ad triangulum BED ad E rectangulum, et consequenter hoc resoluto illud etiam resolvitur.

CAPVT

CAPVT IV.

Adplicatio trigonometriae ſphaericae ad nonnulla problemata aſtronomica et geographica.

61. *Problema* I. Datis obliquitate maxima eclipticae, et diſtantia ſolis a proximo aequinoctio, invenire eius declinationem.

Reſolutio. Sit in fig. III. ADEF aequator DBF ecliptica, AB arcus declinationis ſolis in B exiſtentis. Erit angulus A rectus, D angulus obliquitatis datae, et BD arcus diſtantiae ſolis a proximo aequinoctio. Ex quibus datis quaeretur arcus AB declinationis quaeſitae. Itaque ex can. I. n. 22.

Rad: ſin. D = ſin. BD: ſin. AB.

Exemplum. Sit maxima obliquitas eclipticae 23°. 30′. diſtantia ſolis a proximo aequinoctio autumnali 45°. 50′.

+ log. ſin. 23°. 30′ =	9.6006997
+ log. ſin. 45°. 50′ =	9.8557106
	19.4564103
− log. Rad. =	10.0000000
	9.4564103

Cui in tabulis reſpondent quam proxime 16°. 40′ pro arcu AB quaeſito.

Hac methodo conſtruuntur tabulae declinationum ſolis pro ſingulis 90° diſtantiae ſolis a proximo aequinoctio; in caeteris quadrantibus eaedem declinationes recurrunt.

Ex iisdem datis inveniri poteſt angulus eclipticae cum circulo declinationis, ſeu angulus ABD (per can. VI. n. 27.).

Demum ex iisdem datis ſi in triangulo ABD (per canonem II.) eruatur latus AD angulo dato D adiacens, obtineri poterit aſcenſio ſolis recta, ac exinde tabulae aſcenſionum rectarum ſolis conſtrui.

62. *Problema* II. Datis maxima obliquitate eclipticae, et ſolis declinatione, invenire eius aſcenſionem rectam.

Reſol. Manentibus omnibus ut in praecedente problemate fig. III. dantur in triangulo ABD vel ABF, angulus A rectus, et angulus D vel F obliquitatis eclipticae, nec non AB arcus declinationis, quaereturque arcus AD vel AF aequatoris. Ideoque (per can. III. n. 24.)

tang. D: Rad. = tang. AB: ſin. AD ſeu AF quaeſitum.

Exempl. Sit maxima obliquitas eclipticae = 23°. 30′. arcus declinationis AB = 16°. 40′. quae-

quaeraturque aſcenſio recta AD vel AF puncto aequinoctii verni in D vel F conſtituto:

erit + log. Rad.	=	10.0000000
+ log. tang. AB	=	9.4762233
		19.4762233
− log. tang. D.	=	9.6383019
log. ſin. AD	=	9.8379214

Cui in tabulis reſpondent quam proxime 43°. 30′ pro arcu AD, vel pro arcu AF, eius complementum ad duos rectos, id eſt 136°. 30′. Ab aequinoctio verno usque ad ſolſtitium aeſtivum ſumendus eſt arcus AD quadrante minor. Poſt ſolſtitium aeſtivum usque ad aequinoctium autumnale ſumendus eſt arcus AF quadrante maior; ab aequinoctio autumnali usque ad ſolſtitium hyemale arcui AD invento addendi ſunt 180°, et poſt illud usque ad aequinoctium vernum iidem 180° arcui AF addendi erunt.

63. Ex iisdem datis (per can. I. n. 22.) inveniri poteſt arcus DB vel BF, adeoque locus ſolis in ecliptica, ſeu diſtantia eiusdem ab aequinoctio verno vel autumnali; inferendo

ſin. D: Rad. = ſin. AB: ſin. BD. vel BF.

64. Ex iisdem datis reperitur angulus B ſeu angulus eclipticae cum arcu declinationis

nis vel etiam meridiani (per can. V. n. 26.); inferendo

cosin: AB: cosin: D = Rad: sin. B.

65. *Probl.* III. Data elevatione poli, una cum declinatione solis, invenire I. differentiam ascensionalem, II. amplitudinem ortivam ac III. Azimuthum.

Resolutio. Cogitetur in fig. III. circulus ADEFL repraesentare horizontem, DBF aequatorem, P polum aequatoris, ABP circulum declinationis per punctum solis in A orientis, et, ut figura exhibet, in signis australibus commorantis, LHP meridianum loci, cuius altitudo poli data est. Erit his ita disposítis arcus AD amplitudo ortiva, arcus AL azimuth, arcus DB differentia ascensionalis aut etiam descensionalis, si sermo sit de sole in A occidente; angulus ADB erit aequalis altitudini aequatoris cognitae ex data poli elevatione, cuius illa complementum est. Demum angulus DBA, quem arcus declinationis solis AB cum arcu aequatoris constituit, rectus est. Itaque in triangulo ABD praeter angulum rectum B, datur angulus D aequalis altitudini aequatoris, et latus AB declinationi solis aequale. Unde

I. Dif-

I. Differentia aſcenſionalis DB reperietur (per can. III. n. 24.) inferendo

tang. D: Rad. = tang. AB: ſin. DB.

Exemplum. Sit altitudo poli = 51°. 10′, erit altitudo aequatoris = 38°. 50′ = ang. D, declinatio ſolis auſtralis = 16°. 40′ = lateri AB.

+ log. Rad. =	10.0000000
+ log. tang. AB =	9.4762233
	19.4762233
− log. tang. D =	9.9057845
log. ſin. DB =	9.5704388

Cui in tabulis reſpondent 21°. 50′.

66. II. Pro amplitudine ortiva vel etiam occidua AD, quae eſt baſis trianguli rectanguli ABD, adhibeatur can. I. n. 22. inferendo

ſin. D: Rad. = ſin. AB: ſin. AD.

Exemp. + log. Rad. =	10.0000000
+ log. ſin. AB. 16°. 40′ =	9.4575840
	19.4575840
− log. ſin. D. 38°. 50′ =	9.7973071
log. ſin. AD =	9.6602769

Cui quam proxime reſpondent 27°. 20′. = AD. Demum habita amplitudine ortiva vel occidua AD, reperitur arcus azimuthalis AL, ſi a quadrante

drante LD auferatur AD. Si ſol extiterit in ſignis borealibus, amplitudo ortiva AD quadranti DL addenda erit; quo caſu triangulum ABD cadit infra horizontem AD. Caetera eodem modo ſe habent, ut ante.

67. Ex hoc problemate pro qualibet poli altitudine conſtruuntur tabulae differentiarum aſcenſionalium. Ex his vero facile concinnantur tabulae aſcenſionis obliquae ſolis. Nam in ſignis borealibus ad habendam aſcenſionem obliquam, differentia aſcenſionalis ab aſcenſione recta (per n. 62.) inventa ſubtrahenda eſt. At vero in ſignis auſtralibus eadem differentia aſcenſioni rectae addenda erit; quae omnia in globo coeleſti facile demonſtrantur. Serviant vero haec problemata ad determinanda puncta cardinalia orientis et occidentis, ex obſervato puncto ſolis orientis vel occidentis, et ad determinendam lineam meridianam.

68. *Probl.* IV. Datis aſcenſione obliqua, amplitudine ortiva, et angulo, quem facit ecliptica cum aequatore, invenire angulum, quem facit punctum orientis ſolis, vel eclipticae cum horizonte.

Reſolutio. Repraeſentet in fig. III. AD arcum horizontis ipſamque datam amplitudinem ortivam

ortivam, ſitque punctum D punctum orientis ſolis vel eclipticae D B F. Demum A B E aequator, et arcus A B aſcenſio obliqua data, eritque angulus B inclinatio eclipticae ad aequatorem. Quare in triangulo obliquangulo A B D dantur bina latera A B, A D, cum angulo B lateri A D oppoſito; quaereturque angulus D dato lateri A B oppoſitus; unde ex can. VII. n. 37.

ſin. A D : ſin. B = ſin. A B : ſin. D.

Exemplum. Exiſtat ſol in ſignis borealibus ſitque aſcenſio eius recta 43°. 30′. differentia aſcenſionalis 21°. 50′, erit aſcenſio obliqua 21°. 40′ = A B, amplitudo ortiva A D = 27°. 20′. angulus eclipticae cum aequatore 23°. 30′. = ang. B. Unde

+ log. ſin. B. 23°. 30′ =	9.6006997
+ log. ſin. AB. 21°. 40′ =	9.5672689
	19.1679686
− log. ſin. AD. 27° 20′ =	9.6619701
log. ſin. D. =	9.5059985

Cui in tabulis reſpondent quamproxime 18°. 40′ = ang. D.

68. Ex iisdem datis reperitur longitudo ſolis ſeu arcus D B per methodum n. 50. declaratam.

ratam. Sed quia in triangulo ABD etiam cognitus eſt angulus A, ſeu eiusdem complementum ad duos rectos BAL, utpote altitudo aequatoris ex data poli elevatione cognita per eundem canonem VII. reperitur arcus DB; inferendo

ſin. B: ſin. AD = ſin. A: ſin. DB.

Exemplum detur

+ log. ſin. AD. 27°. 20′ =	9.6619701
+ log. ſin. BAL. 38°. 50′ =	9.7973071
	19.4592772
− log. ſin. B. 23°. 30′ =	9.6006997
log. ſin. DB =	9.8585775

Cui reſpondent quam proxime 46°. 10′ pro loco ſolis in ecliptica.

69. *Problem.* V. Determinare tempus primi mobilis; item tempus ſolare, quo datus arcus aequatoris meridianum tranſit; et vicissim arcum aequatoris invenire, qui intra datum tempus, tam primi mobilis, quam ſolare per meridianum tranſit.

Reſolut. Formetur haec proportio: 360°: 24 horas temporis primi mobilis, ita datus arcus aequatoris e. g. 90°: 6 horas. Ex hac proportione reperitur, quod 1° arcus aequatoris

toris intra 4‴ temporis primi mobilis per meridianum transeat, 1′ aequatoris intra 4″ temporis, 1° aequatoris intra 4′ temporis, 5° aequatoris intra 20′ temporis, 10° aequatoris intra 40′ temporis, 15° aequatoris intra 1 horam, 30° aequatoris intra 2 horas &c. Et viciſſim invertendo proportionem ex dato quovis tempore arcus aequatoris meridianum interea pertranſiens reperiri poteſt.

Quia vero ſol intra 24 horas primi mobilis aſcenſionem rectam mutat 59′. 8″. 20‴, eamque ob cauſam tardius quam ſtella fixa ad meridianum pertingit, hinc ad reperiendum tempus ſolare dato arcui aequatoris reſpondens ſequens proportio formanda eſt:

ut 360°. 59′. 8″. 20‴ ſe habent ad 24 horas temporis ſolaris, ita datus arcus e. g. 90° ad 5 hor. 59′. 0″. 36‴.

Ex hac proportione reperitur, uni gradui aequatoris reſpondere 3′. 59″. 20‴ temporis ſolaris. Et uni minuto primo aequatoris: 3″. 59‴. 20⁗ temporis. Et viciſſim ex inverſa proportione dato tempore ſolari arcus aequatoris meridianum interea pertranſiens reperiri poteſt. Sic 1 horae temporis ſolaris reſpondent 15°. 2′. 28″ arcus aequatoris. Et uni

minuto temporis ſolaris reſpondent 15′. 2″. 28‴ arcus aequatoris. Demum uni minuto ſecundo temporis reſpondent 15″. 2‴. 28⁗ arcus aequatoris &c. Uſus huius problematis in ſequentibus erit neceſſarius.

70. *Probl.* VI. Dato loco ſolis in ecliptica et elevatione poli, invenire longitudinem diei et noctis.

Reſol. Quaeratur I. declinatio ſolis (per n. 61.). Exinde II. differentia aſcenſionalis (per n. 65.). III. Inventa differentia aſcenſionalis convertatur in tempus ſolare (per n. 69.). IV. Si ſol fuerit in ſignis borealibus, inventum hoc tempus addatur tempori ſolari, quo quadrans aequatoris per meridianum tranſit; ſi vero idem in ſignis auſtralibus extiterit, ab eodem auferatur, ita obtinebitur tempus ſemidiurnum, cuius duplum erit ipſa longitudo diei. V. Inventa longitudo diei auferatur a 24 horis, relinquetur longitudo noctis; cuius dimidium erit tempus ſeminocturnum. Ex quo facile intelligitur, per reſolutionem huius problematis etiam determinari tempus ortus et occaſus ſolis; nam ortum ſolis indicabit tempus ſeminocturnum a media nocte com-

puta-

putatum, occaſum vero tempus ſemidiurnum a meridie computari ſolitum.

71. *Probl.* VII. Data elevatione poli, et declinatione ſolis, invenire eius altitudinem ad datum quodvis momentum.

Reſolut. I. Si ſol ſit in aequatore. Repraeſentet in fig. III. arcus LHP meridianum, P zenith, DBF aequatorem, AB arcum verticalem, ſeu altitudinem ſolis in B exiſtentis. His ita diſpoſitis in triangulo BHP erit arcus HP aequalis latitudini loci, ſeu elevationi poli datae; item angulus H rectus, quia meridianus LHP per polum aequatoris tranſit. Demum ex data diei hora inveniatur tempus ad meridiem reſiduum, quod a meridie erit ipſa data hora pomeridiana, hoc (per probl. n. 69.) in arcum aequatoris converſum dabit arcum BH. Quibus datis reperitur arcus BP, qui eſt complementum altitudinis AB quaeſitae, (per can. IV. n. 25.) inferendo

Rad: cos. HP = cos. BH: cos. BP.

Exemplum. Detur tempus ad meridiem reſiduum vel a meridie praeterlapſum aequale 3 horis. Hae in arcum aequatoris converſae dabunt pro arcu BH 45°. 7′, ſitque la-

titudo loci seu elevatio poli seu arcus HP = 51°. 6′, reperietur

+ log. cos. HP. 51°. 6′ =	9.7979341
+ log. cos. BH. 45°. 7′ =	9.8485989
	19.6465330
− log. Rad. =	10.0000000
log. cosin. B P =	9.6465330

adeoque ipse arcus AB erit = 22°. 18′ quam proxime.

72. II. Existat sol in signis borealibus, repraesentetque in fig. III. circulus LADE aequatorem, H zenith, P polum aequatoris, DBH circulum verticalem, sitque BH complementum altitudinis solis in B existentis, AB declinatio solis data, eritque BP complementum declinationis. Demum arcus HP erit complementum datae elevationis poli.

Ac si tempus ad meridiem residuum vel a meridie praeterlapsum in arcum aequatoris (per n. 69.) convertatur, obtinetur arcus AL, qui est mensura aequalis angulo P. Datis proinde in triangulo obliquangulo duobus lateribus HP et BP cum angulo intercepto P, inveniendum est (per n. 48.) latus BH.

Con-

Concipiatur ex angulo H demiſſum perpendiculum in baſim BP, quod alicubi cadet in punctum O. Tum (per can. II.) formetur proportio ad inveniendum ſegmentum P O

Rad: cos. P = tang. HP: tang. P O.

Invento P O habebis B O, ob datum B P. Demum ex ſegmentis B O, P O et latere H P invenies B H (per can. X. n. 40.), inferendo

Cos. P O: cos. B O = cos. H P: cos. B H.

Exemplum. Sit declinatio ſolis borealis A B = 20°. 30′, erit eius complementum B P = 69°. 30′; complementum elevationis poli H B = 38°. 54′, horae ad meridiem reſiduae tres, erit arcus A L ſeu angulus P = 45°. 7′.

Erit ex prima

+ log. coſin. P. 45°. 7′	=	9.8485989
+ log. tang. H P. 38° 54′	=	9.9068188
		19.7554177
− log. Rad.	=	10.0000000
log. tang. P O	=	9.7554177.

Cui in tabulis reſpondent quam proxime 29°. 40′ = P O.

Unde B O = 69°. 30′ − 29°. 40′ = 39°. 50′.

Deinde ex altera proportione

erit + log. cos. BO. 39°. 50′ = 9.8853169
+ log. cos. HP. 38°. 54′ = 9.8911152

19.7764261
− log. cosin. PO. 29°. 40′ = 9.9389796

log. cosin. BH = 9.8374465

Cui in tabulis respondent 46° 33′ = BH, eritque ipsa solis altitudo 43°. 27′.

73. III. Si sol fuerit in signis australibus, loco baseos BP in priore resolutione adhibitae, sumi debet aggregatum ex quadrante AP et declinatione solis AB, reliqua se habent ut ante. Exempla hucusque allata sufficient, ut tyrones in sequentibus se ipsos per eiusmodi exempla exercere possint.

74. *Probl.* VIII. Data elevatione poli, declinatione solis, eiusque altitudine, invenire horam diei.

Resolut. I. Si sol extiterit in aequatore, resolutio obtinetur eodem modo, sicut in n. 71. inveniendo cosin. BH, erit nempe cos. HP: Rad. = cos. BP: cos. BH. Inventus arcus BH convertatur in tempus solare (per n. 69.), habebitur tempus ad meridiem residuum, si sol fuerit

fuerit in parte orientali, vel a meridie praeterlapsum, si fuerit in occidentali.

75. II. Si sol fuerit in signis borealibus. Repraesentet in fig. III. circulus DAL aequatorem, H zenith, P polum, DBH circulum altitudinis solis B, AB eiusdem declinationem, erit in triangulo obliquangulo PHB, PH complementum elevationis poli, BP complementum declinationis, BH complementum altitudinis. Quibus datis invenietur angulus P seu arcus aequatoris AL per methodum n. 58. declaratam, qui in tempus solare conversus dabit horam quaesitam.

76. III. Si sol fuerit in signis australibus, loco arcus BP sumendum est aggregatum ex quadrante AP, et declinatione solis AB; caetera manebunt ut ante.

77. *Probl.* IX. Datis declinatione, altitudine et azimuth solis, invenire horam diei, et elevationem poli.

Resol. Sit in fig. III. LHP meridianus, P polus, H zenith, LAD horizon, BP complementum declinationis, BH complementum altitudinis DB, arcus DL azimuth, et mensura aequalis angulo LHD; quo dato etiam datur eius contiguus BHP. Datis proinde

inde in triangulo obliquangulo BHP lateribus BH, BP, cum angulo H oppoſito, invenietur primo angulus P (per can. VII. n. 37.) ſeu arcus AL, qui in tempus ſolare converſus dabit horam diei. Porro ex iisdem datis inveniri poterit arcus HP tertium latus per methodum n. 50. declaratam; quod erit complementum altitudinis poli quaeſitae. Vicisſim datis declinatione, altitudine ſolis, et poli elevatione, reperiri facile poterit azimuth ſolis, adeoque linea meridiana, nec non hora diei; id quod ex contemplatione datorum trium laterum in triangulo BHP ſatis perſpicitur. Nam per methodum n. 58. inveniendo angulum H, reperietur etiam eius contiguus DHL, cuius menſura eſt arcus DL azimuth quaeſitum.

Et reperiendo angulum P, reperietur arcus aequatoris in tempus ſolare convertendus.

78. *Probl.* X. Datis declinatione et altitudine ſolis et hora diei, invenire azimuth ſolis ſeu lineam meridianam.

Reſol. Datum tempus ſolare ad meridiem reſiduum vel pomeridianum convertatur in arcum aequatoris (per prob. IV. n. 69.), habebitur in triangulo

angulo PHB, fig. III. praeter latera BP et BH, quorum illud eſt complementum declinationis, hoc complementum altitudinis, angulus P, cuius menſura eſt arcus AL aequatoris ad meridiem reſiduus, inveniendusque eſt arcus DL, ſeu angulus LHD azimuthi. Itaque (per can. VII. n. 37.)

ſin. BH: ſin. P = ſin. BP: ſin. H.

Id eſt ſinus complementi altitudinis BH, eſt ad ſinum diſtantiae a meridiano, ſeu ſinum anguli P, ut ſinus complementi declinationis BP, ad ſinum azimuth a meridiano, ſeu anguli H quaeſitum.

79. *Probl.* XI. Datis declinatione ſolis, elevatione poli, et angulo azimuthali, quo habetur linea meridiana, invenire horam diei.

Reſolut. Sit in fig. III. LHP meridianus, H zenith, P polus aequatoris DAL, AB declinatio ſolis, erit BP complementum declinationis, HP complementum elevationis poli, et angulus LHD azimuthalis, quo dato, habetur etiam eius contiguus BHP; datis igitur in triangulo obliquangulo BHP duobus lateribus PH, BP, cum angulo H lateri BP oppoſito, invenietur angulus P, ſeu arcus AL aequatoris per methodum n. 51. de-

monſtratam, qui in tempus ſolare converſus (per n. 69.) dabit horam quaeſitam.

80. *Probl.* XII. Datis elevatione poli, altitudine ſolis vel ſtellae, et angulo azimuthali ſeu linea meridiana, invenire eius declinationem.

Reſol. Sit in fig. III. BH complementum datae altitudinis ſolis vel ſtellae in B exiſtentis, HP complementum elevationis poli, et angulus DHL vel eius contiguus BHP angulus azimuthalis datus, quaeretur in triangulo BHP complementum declinationis BP, quod invenietur per methodum n. 48. demonſtratam.

81. Ex iisdem datis inveniri poterit angulus P ſeu arcus aequatoris AL per methodum n. 49. adeoque ſi ſermo ſit de ſole, arcus AL converſus in tempus ſolare, dabit horam diei. Si vero ſermo ſit de ſtella fixa, obtinebitur tempus, quo ſtella meridianum attinget, ſi ſit in plaga orientali, vel quo a meridiano diſceſſit, ſi ſit in plaga occidentali; et ſi ſciatur, quantum ſtella ſolem in aſcenſione recta vel antecedat vel ſequatur, hora diei exinde cognoſci poterit. Aut data hora diei viciſſim differentia inter aſcenſionem rectam ſolis et ſtellae eruetur.

82. *Probl.*

82. *Probl.* XIII. Datis longitudine et latitudine ſtellae fixae, invenire eius declinationem.

Reſolut. Sit in fig. VII. AEB aequator, P eiusdem polus, ♋♈♎♑ ecliptica, Z polus eclipticae, circulus APZ colurus ſolſtitiorum, C ſtella data, cuius longitudo ♈G, et latitudo GC dantur, quaeritur eiusdem declinatio CE.

Porro in triangulo CPZ arcus PZ eſt diſtantia poli eclipticae a polo aequatoris, iam aliunde cognita; et arcus CZ eſt complementum arcus GC datae latitudinis ſtellae. Demum ob datam longitudinem G♈, datur etiam eius complementum G♋, ſeu diſtantia a proximo coluro ſolſtitiorum; eſt vero arcus G♋ menſura aequalis angulo PZC; adeoque in triangulo PZC datis duobus lateribus PZ, CZ, cum angulo intercepto Z invenietur tertium latus PC (per n. 48.), quod erit complementum quaeſitae declinationis CE.

83. *Probl.* XIV. Datis longitudine et latidine ſtellae fixae, invenire eius aſcenſionem rectam.

Reſol. In fig. VII. arcus aequatoris ♈E erit aſcenſio recta quaeſita. Datis proinde in triangulo CPZ lateribus PZ, CZ et angulo Z, reperietur (per n. 49.) angulus CPZ, quem meti-

metitur arcus EB, cuius complementum ad 90° eſt aſcenſio recta ♈E quaeſita. Viciſſim data ſtellae declinatione et eius aſcenſione recta, ſeu latere CP, PZ et angulo P, reperietur primo CZ ſeu latitudo ſtellae (per n. 48.). Et demum angulus Z ſeu complementum longitudinis G♈ (per n. 49.).

84. Cognita ſtellae cuiuspiam declinatione altitudo poli invenitur, ſi ab obſervata maxima ſtellae altitudine auferatur eiusdem declinatio, ſi borealis eſt; aut ad eam addatur, ſi auſtralis eſt, obtinebitur altitudo aequatoris, cuius complementum eſt elevatio poli. Porro ex declinatione ſtellae et elevatione poli eruitur amplitudo ortiva et occidua, nec non differentia aſcenſionalis, per methodum n. 65. declaratam. Ex his porro azimuthum ſeu linea meridiana, adeoque declinatio magnetis, nec non ſegmenta parallelorum ipſarum ſubter et ſuper horizontem; demum quam longe vel prope a zenith abſint.

85. Per aſcenſiones rectas ſtellarum cognoſcitur tempus, quo antecedunt vel ſequuntur ſolem; ſi videlicet differentia inter aſcenſionem rectam ſolis et ſtellae in tempus ſolare convertatur; ex quo porro hora diei erui poterit.

rit. Deinde data declinatione et altitudine ſtellae et elevatione poli cognoſci poteſt diſtantia ſtellae a meridiano eodem modo, quo n. 74. &c. de ſole dictum eſt. Unde inveniri poterit linea meridiana, et hora nocturna. Si enim ſtella ſit in parte orientali, tempus diſtantiae ſtellae a meridiano auferri debet a tempore, quo ſtella ſolem ſequitur. At in parte occidentali idem tempori, quo ſtella ſolem ſequitur, addendum erit, ſumma erit tempus ſolare a meridie computatum.

86. *Probl.* XV. Datis longitudinibus et latitudinibus duorum locorum, invenire eorum diſtantiam ſeu arcum circuli maximi inter ea comprehenſum.

Reſolut. Sint in fig. VIII. duo loca B et C; A polus aequatoris FDEG, arcus BD et CE datae locorum latitudines, eruntque AB et AC complementa latitudinum. Ob datas vero longitudines innoteſcet differentia longitudinum DE, quae eſt menſura anguli A. Igitur in triangulo BAC datis duobus lateribus AB et AC et angulo comprehenſo A, invenietur BC (per n. 48.) diſtantia locorum quaeſita.

87. Ex iisdem datis inveniri poteſt angulus utervis B vel C (per n. 49.). Quo invento cognoſci-

gnoſcitur, qua directione ex uno loco B verſus alterum C proficiſcendum ſit, id quod in itineribus faciendis et in re nautica maximi momenti eſſe ſolet.

88. *Probl.* XVI. Datis diſtantia duorum locorum eorumque latitudinibus, invenire differentiam longitudinis.

Reſolut. Cum in eodem triangulo ABC dentur tria latera AB, BC, AC, invenietur angulus A (per n. 58.), cuius menſura eſt arcus DE differentia longitudinum quaeſita; ex qua vel addita vel ſubtracta ad longitudinem unius loci dati eruetur longitudo alterius. Ex iisdem vero datis eruitur etiam angulus B vel C, iuxta cuius directionem ab uno loco verſus alium iter inſtituendum eſt. Demum ſi inventa differentia longitudinis duorum locorum convertatur in tempus ſolare, data hora diei in uno loco, innoteſcet, quota ſit hora in altero loco.

89. *Probl.* XVII. Data differentia temporis duorum locorum, eorumque diſtantia, ac elevatione poli unius, invenire elevationem poli alterius.

Reſol. Data differentia temporis convertatur in arcum aequatoris, reperietur differentia lon-

longitudinum DE aequalis angulo A; datis praeterea lateribus AB et BC invenietur tertium latus AC (per n. 50.) complementum elevationis poli quaesitae.

90. *Probl.* XVIII. Datis distantiis trium locorum, una cum longitudine et latitudine duorum, invenire longitudinem et latitudinem tertii.

Resolut. Sint in fig. VIII. datae distantiae trium locorum BC, BH, CH; sitque latitudo loci B, arcus DB, eius complementum AB, latitudo loci C, arcus CE, eius complementum AC, ac data longitudinum differentia DE seu angulus BAC, quaereturque latitudo loci HO ac differentia longitudinis EO. Itaque

I. in triangulo BHC ex datis tribus lateribus quaeratur angulus C (per n. 58.). II. In triangulo ABC, quaeratur angulus BCA, qui itidem ob cognita tria latera (per n. 58.) inveniri poterit. III. Angulus BCA subtractus ab angulo BCH relinquet angulum ACH. Demum IV. in triangulo ACH ex cognitis duobus lateribus AC et CH cum angulo comprehenso facile eruetur tertium latus AH (per n. 48.), ac demum angulus CAH seu differentia longitudinum EO (per n. 49.).

FINIS.

CANONES SINUUM ET TANGENTIUM PRO DECIMO QUOQUE MINUTO CUM EORUM LOGARITHMIS.

Operi praestituta brevitas integros sinuum, tangentium, et secantium canones prohibebat inferi; et ex alia parte videbatur discentium exercitationi non satis prospici, si prorsus omitterentur. Selegi proinde sinus et tangentes pro decimo quoque minuto, cum eorum logarithmis; secantibus, quarum vix est usus, penitus praetermissis. Si quis tamen sinus et tangentes intermedios requirat; sic facile investigabit.

Datis sinubus vel tangentibus minutorum decimalium, invenire quoscunque intermedios.

Quaeratur *v. g.* sinus arcus vel anguli 43°. 14′.

1. Desumantur ex tabulis sinus proxime maior (43°. 20′. qui est 6862416) et proxime minor (43°. 10′. qui est 6841229) et inquiratur eorum differentia (21187.).

2. Fiat,

2. Fiat, ut 10 ad exceſſum arcus dati (43°. 14′.) ſupra arcum proxime minorem (43°. 10′.) id eſt, ut 10 ad 4: ita 21187 differentia ſinuum ex tabula deſumptorum ad aliud. Quartus terminus $8474\frac{8}{10}$ ſeu 8475 additus ſinui proxime minori (6841229) dabit (6849704) ſinum anguli dati, vel ipſiſſimum, qui in tabulis reperitur, vel ab illo vix differentem

Eadem operatio inſtitui poteſt ad logarithmicos ſinus inquirendos, licet non ita exacte, ſufficienter tamen ad praeſens inſtitutum.

Quod dictum de ſinubus de tangentibus etiam eſt intelligendum. Hinc etiam colliges, quomodo ex ſinu vel tangente data inveniantur minuta correſpondentia.

Gr.	Min.	Sinus.	Tangens.	Log. Sin.	Log. Tang.
0	0	0	0	0	0
	10	290.89	290.89	7.4637255	7.4637273
	20	581.77	581.78	7.7647537	7.7647610
	30	872.65	872.69	7.9408419	7.9408584
	40	1163.53	1163.61	8.0657763	8.0658057
	50	1454.39	1454.54	8.1626808	8.1627267
1	0	1745.24	1745.51	8.2418553	8.2419215
	10	2036.08	2036.50	8.3087941	8.3088842
	20	2326.90	2327.53	8.3667769	8.3668945
	30	2617.69	2618.59	8.4179190	8.4180679
	40	2908.47	2909.70	8.4636649	8.4638486
	50	3199.22	3200.86	8.5050447	8.5052671
2	0	3489.95	3492.08	8.5428192	8.5430838
	10	3780.65	3783.35	8.5775660	8.5778766
	20	4071.31	4074.69	8.6097341	8.6100943
	30	4361.94	4366.09	8.6396796	8.6400931
	40	4652.53	4657.57	8.6676893	8.6681598
	50	4943.08	4949.13	8.6939980	8.6945292
3	0	5233.60	5240.78	8.7188002	8.7193958
	10	5524.06	5532.51	8.7422586	8.7429222
	20	5814.48	5824.34	8.7645111	8.7652465
	30	6104.85	6116.26	8.7856753	8.7864861
	40	6395.17	6408.29	8.8058523	8.8067422
	50	6685.44	6700.43	8.8251299	8.8261026
4	0	6965.65	6992.68	8.8435845	8.8446437
	10	7265.80	7285.05	8.8612833	8.8624327
	20	7555.89	7577.55	8.8782854	8.8795286
	30	7845.91	7870.17	8.8946433	8.8959842
	40	8135.87	8162.93	8.9104039	8.9118460
	50	8425.76	8455.83	8.9256089	8.9271560
5	0	8715.57	8748.87	8.9402960	8.9419518
	10	9005.32	9042.06	8.9544991	8.9562672
	20	9294.99	9335.40	8.9682487	8.9701330
	30	9584.58	9628.90	8.9815729	8.9835769
	40	9874.08	9922.57	8.9944968	8.9966243
	50	10163.51	10216.41	9.0070436	9.0092984

Gr.	Min.	Sinus.	Tangens.	Log. Sin.	Log. Tang.
89	60	100000.00	Infinit.	10.0000000	Infinit.
	50	99999.58	34377371.00	9.9999982	12.5362727
	40	99998.30	17188540.00	9.9999927	12.2352390
	30	99996.19	11458865.00	9.9999835	12.0591416
	20	99993.23	8593979.10	9.9999706	11.9341943
	10	99989.42	6875008.70	9.9999541	11.8372733
88	60	99984.77	5728996.16	9.9999338	11.7580785
	50	99979.27	4910388.06	9.9999100	11.6911158
	40	99972.92	4296407.73	9.9998824	11.6331055
	30	99965.73	3818845.93	9.9998512	11.5819321
	20	99957.69	3436777.09	9.9998162	11.5361514
	10	99948.81	3124157.67	9.9997776	11.4947329
87	60	99939.08	2863625.33	9.9997354	11.4569162
	50	99928.51	2643159.96	9.9996894	11.4221234
	40	99917.09	2454175.78	9.9996398	11.3899057
	30	99904.82	2290376.55	9.9995865	11.3599059
	20	99891.71	2147040.10	9.9995297	11.3318402
	10	99877.75	2020555.35	9.9994688	11.3054708
86	60	99862.95	1908113.67	9.9994044	11.2806042
	50	99847.31	1807497.74	9.9993364	11.2570778
	40	99830.81	1716933.69	9.9992646	11.2347535
	30	99813.48	1634985.55	9.9991892	11.2135139
	20	99795.29	1560478.41	9.9991101	11.1932578
	10	99776.27	1492441.70	9.9990273	11.1738074
85	60	99756.40	1430066.63	9.9989408	11.1553563
	50	99735.69	1372673.79	9.9988506	11.1375673
	40	99714.13	1319688.30	9.9987567	11.1204714
	30	99691.73	1270620.47	9.9986591	11.1040158
	20	99668.49	1225050.55	9.9985579	11.0881540
	10	99644.40	1182616.67	9.9984529	11.0728440
84	60	99619.47	1143005.23	9.9983442	11.0580482
	50	99593.69	1105943.10	9.9982318	11.0437328
	40	99567.08	1071191.26	9.9981158	11.0298670
	30	99539.62	1038539.71	9.9979960	11.0164231
	20	99511.32	1007803.11	9.9978725	11.0033757
	10	99482.17	978817.32	9.9977453	10.9907016

Gr.	Min.	Sinus.	Tangens.	Log. Sin.	Log. Tang.
6	0	10552.85	10510.42	9.0192346	9.0216202
	10	10842.10	10804.62	9.0310890	9.0336093
	20	11031.26	11098.99	9.0426249	9.0452836
	30	11320.32	11393.56	9.0538588	9.0566595
	40	11609.29	11688.31	9.0648057	9.0677522
	50	11898.16	11983.28	9.0754799	9.0781760
7	0	12186.93	12278.46	9.0858945	9.0891438
	10	12475.60	12573.84	9.0960615	9.0994678
	20	12764.16	12869.43	9.1059924	9.1095594
	30	13052.62	13165.25	9.1156977	9.1194291
	40	13340.96	13461.29	9.1251872	9.1290868
	50	13629.19	13757.57	9.1344702	9.1385417
8	0	13917.31	14054.08	9.1435553	9.1478025
	10	14205.31	14350.84	9.1524507	9.1568773
	20	14493.19	14647.84	9.1611639	9.1657737
	30	14780.94	14945.10	9.1697021	9.1744988
	40	15068.57	15242.61	9.1780721	9.1830595
	50	15356.07	15540.40	9.1862802	9.1914621
9	0	15643.45	15838.44	9.1943324	9.1997125
	10	15930.69	16136.77	9.2022345	9.2078165
	20	16217.79	16435.37	9.2099917	9.2157795
	30	16504.76	16734.26	9.2176092	9.2236065
	40	16791.59	17033.44	9.2250918	9.2313024
	50	17078.28	17332.92	9.2324440	9.2388717
10	0	17364.82	17632.70	9.2396702	9.2463188
	10	17651.21	17932.78	9.2467746	9.2536477
	20	17937.46	18233.18	9.2537609	9.2608625
	30	18223.55	18533.90	9.2606330	9.2679669
	40	18509.44	18834.95	9.2673945	9.2749644
	50	18795.27	19136.32	9.2740487	9.2818585
11	0	19080.90	19438.03	9.2805988	9.2886523
	10	19366.36	19740.08	9.2870480	9.2953489
	20	19651.66	20042.48	9.2933993	9.3019514
	30	19936.79	20345.23	9.2996553	9.3084626
	40	20221.76	20648.34	9.3058189	9.3148851
	50	20506.55	20951.81	9.3118926	9.3212216

Gr.	Min.	Sinus.	Tangens.	Log. Sin.	Log. Tang.
83	60	99452.18	951436.45	9.9976143	10.9783798
	50	99421.36	925530.35	9.9974797	10.9663907
	40	99389.69	900982.61	9.9973414	10.9547164
	30	99357.18	877688.74	9.9971993	10.9433405
	20	99323.83	855554.68	9.9970535	10.9322478
	10	99289.64	834495.57	9.9969040	10.9214240
82	60	99254.62	814434.64	9.9967507	10.9108562
	50	99218.74	795302.24	9.9965937	10.9005322
	40	99182.03	777035.06	9.9964330	10.8904406
	30	99144.49	759575.41	9.9962686	10.8805709
	20	99106.09	742870.64	9.9961004	10.8709132
	10	99066.87	726872.55	9.9959284	10.8614583
81	60	98026.80	711536.97	9.9957528	10.8521975
	50	98985.90	696823.35	9.9955734	10.8431227
	40	98944.16	682694.37	9.9953902	10.8342263
	30	98901.58	699115.62	9.9952033	10.8255012
	20	98858.17	656055.38	9.9950126	10.8169405
	10	98813.92	643484.28	9.9948181	10.8085379
80	60	98768.83	631375.15	9.9946199	10.8002875
	50	98722.91	619702.79	9.9944180	10.7921935
	40	98676.15	608443.81	9.9942122	10.7842205
	30	98628.56	597576.44	9.9940027	10.7763935
	20	98580.13	587080.42	9.9937894	10.7686976
	10	98530.87	576936.88	9.9935723	10.7611283
79	60	98480.77	567128.18	9.9933515	10.7536812
	50	98429.85	557637.86	9.9931269	10.7463523
	40	98378.08	548450.52	9.9928984	10.7391375
	30	98325.49	539551.72	9.9926661	10.7320331
	20	98272.06	530927.93	9.9924301	10.7250356
	10	98217.81	522566.47	9.9921902	10.7181415
78	60	98162.71	514455.40	9.9919466	10.7133477
	50	98106.80	506583.52	9.9916991	10.7046511
	40	98050.05	498940.27	9.9914478	10.6980486
	30	97992.47	491515.70	9.9911927	10.6915374
	20	97934.06	484300.45	9.9909338	10.6851149
	10	97874.83	477285.67	9.9906710	10.6787784

Gr.	Min.	Sinus.	Tangens.	Log. Sin.	Log. Tang.
12	0	20791.17	21255.65	9.3178789	9.3274745
	10	21075.61	21559.88	9.3237802	9.3336463
	20	21359.88	21864.48	9.3295988	9.3397391
	30	21643.96	22169.47	9.3353368	9.3457552
	40	21927.86	22474.85	9.3409963	9.3516968
	50	22211.58	22780.63	9.3465794	9.3575658
13	0	22495.11	23086.82	9.3520880	9.3633641
	10	22778.44	23393.42	9.3575240	9.3690937
	20	23061.59	23700.44	9.3628892	9.3747563
	30	23344.54	24007.87	9.3681853	9.3803537
	40	23627.29	24315.75	9.3734139	9.3858876
	50	23909.84	24624.05	9.3785767	9.3913595
14	0	24192.19	24932.80	9.3836752	9.3967711
	10	24474.33	25242.00	9.3887109	9.4021237
	20	24756.27	25551.65	9.3936852	9.4074189
	30	25038.00	25861.76	9.3985996	9.4126581
	40	25319.52	26172.34	9.4034554	9.4178425
	50	25600.82	26483.39	9.4082539	9.4229735
15	0	25881.90	26794.92	9.4129962	9.4280525
	10	26162.77	27106.93	9.4176837	9.4330804
	20	26443.42	27419.44	9.4223176	9.4380587
	30	26723.84	27732.45	9.4268988	9.4429883
	40	27004.03	28045.97	9.4314286	9.4478704
	50	27284.00	28345.99	9.4359080	9.4527061
16	0	27563.74	28674.54	9.4403381	9.4574964
	10	27843.24	28989.61	9.4447197	9.4622423
	20	28122.51	29305.21	9.4490540	9.4669448
	30	28401.53	29621.35	9.4533418	9.4716048
	40	28680.32	29938.03	9.4575840	9.4762233
	50	28958.87	30255.27	9.4617816	9.4808011
17	0	29237.17	30573.07	9.4659353	9.4853390
	10	29515.22	30891.43	9.4700461	9.4898380
	20	29793.03	31210.36	9.4741146	9.4942988
	30	30070.58	31529.88	9.4781418	9.4987223
	40	30347.88	31849.98	9.4821283	9.5031092
	50	30624.92	32170.67	9.4860749	9.5074600

Gr.	Min.	Sinus.	Tangens.	Log. Sin.	Log. Tang.
77	60	97814.76	470463.01	9.9904044	10.6725255
	50	97753.86	463824.57	9.9901339	10.6663537
	40	97692.15	457362.87	9.9898597	10.6602609
	30	97629.60	451070.85	9.9895815	10.6542448
	20	97566.23	444941.81	9.9892995	10.6483032
	10	97502.03	438969.40	9.9890137	10.6424342
76	60	97437.01	433147.59	9.9887239	10.6366359
	50	97371.16	427470.66	9.9884303	10.6309063
	40	97304.48	421933.18	9.9881329	10.6252437
	30	97236.99	416529.98	9.9878315	10.6196463
	20	97168.67	411256.14	9.9875263	10.6141124
	10	97099.54	406107.00	9.9872171	10.6086405
75	60	97029.57	401078.09	9.9869041	10.6032289
	50	96958.79	396165.18	9.9865872	10.5978763
	40	96887.18	391364.20	9.9860663	10.5925811
	30	96814.76	386671.31	9.9859416	10.5873419
	20	96741.52	382082.81	9.9856129	10.5821575
	10	96667.46	377595.19	9.9852803	10.5770265
74	60	96592.58	373205.08	9.9849438	10.5719475
	50	96516.88	368909.27	9.9846033	10.5669196
	40	96440.37	364704.67	9.9842589	10.5619413
	30	96363.05	360588.35	9.9839105	10.5570117
	20	96284.90	356557.49	9.9835582	10.5521296
	10	96205.94	352609.38	9.9832010	10.5472939
73	60	96126.17	348741.44	9.9828416	10.5425036
	50	96045.58	344951.20	9.9824774	10.5377577
	40	95964.18	341236.26	9.9821092	10.5330552
	30	95881.97	337594.34	9.9817370	10.5283952
	20	95798.95	334023.26	9.9813608	10.5237767
	10	95715.12	330520.91	9.9809805	10.5191989
72	60	95630.48	327085.26	9.9805963	10.5146610
	50	95545.02	323714.38	9.9802081	10.5101620
	40	95458.76	320406.38	9.9798158	10.5057012
	30	95371.69	317159.48	9.9794195	10.5012777
	20	95283.82	313971.94	9.9790192	10.4968908
	10	95195.14	310842.10	9.9786148	10.4925398

Gr.	Min.	Sinus.	Tangens.	Log. Sin.	Log. Tang.
18	0	30901.70	32491.97	9.4899824	9.5117760
	10	31178.22	32813.87	9.4938513	9.5160575
	20	31454.48	33136.39	9.4976824	9.5203052
	30	31730.47	33459.53	9.5014764	9.5245199
	40	32006.19	33783.30	9.5052339	9.5287021
	50	32281.64	34107.71	9.5089556	9.5328526
19	0	32556.82	34432.76	9.5126419	9.5369718
	10	32831.72	34758.46	9.5162936	9.5410606
	20	33106.34	35084.83	9.5199112	9.5451193
	30	33380.69	35411.86	9.5234953	9.5491487
	40	33654.75	35739.56	9.5270463	9.5531492
	50	33928.53	36067.95	9.5305650	9.5571214
20	0	34202.02	36397.02	9.5340517	9.5610658
	10	34475.22	36726.80	9.5375069	9.5649831
